

& internæ; qvarum priores cōmunes habet cum cæteris virtutib⁹, posteriores autem ab iisdem diversas. Nam qvæ aliarum virtutum effectrix est, *crebra & sepius frequentata actio*, ea & ad Urbanitatem per modum caussæ efficientis proxima concurrit. Non uno profecto actu, unâve in horâ addiscimus recte ac laudabili- ter nos gerere circa jocos & ludos, sed accedant necessum est crebra longoq; tempore continuata exercitia, qvibus paullatim adfvescat animus, ac intra virtutis limites se contineat. Sic qvoniam aliæ virtutes *Summum Bonum*, tanquam *ultimum scopum & finem*, sibi habent propositum, nostra qvoq; ad felicitatem illam adspirat, qvamvis & delectationem ac recreationem licitam pro subordinato fine libenter agnoscat.

V. Ex *internis caussis*, qvæ analogicè assignantur Urbanitati, primò commemoranda materia *circa quam*, seu *objectum*, est, qvod duplex nostra, sicut & reliqvæ virtutes, est fortita, *internum videlicet ac externum*. Ac primum qvidem constituimus *cupiditates atq; affectus animi*, qui in jocando atq; ludendo sese exerunt, rectæq; rationis moderamen requirunt: secundum autem *ludos atq; jocos* facimus. Nec enim in *sermonibus* saltem, sed *actionibus* qvoq; Urbanitas conspicitur, nec jocose modò confabulationes, sales atq; facetiæ, sed ludi qvoq; ac exercitialis ita, delectandi animi caussâ instituta, sub ejus ambitu comprehenduntur. Restaurandæ siqvidem sunt corporis vires, animoq; concedenda qvædam cessatio est, ut reficiatur iterum, novosq; labores eò alicrius adeat. Continua enim ac diurna occupatio exhaustit vitales spiritus, ac pectus exsiccat, ut vires deficiant tandem, vi- goremq; suum subinde amittant.

VI. Hæc objecti existentia aliquo nos inducit modo in *generica Urbanitatis forme cognitionem*. Nam qvoniam ludi ac joci laudis ac vituperii sunt capaces, prout quisq; iisdem utitur, dabitur utiq; mediocritas qvædam, qvæ regimen eorum suscipiat, ut ne deficiant à rectitudinis regulâ, ac turpitudine qvâdam commaculentur. Ea verò ipsissima est Urbanitas nostra, qvæ munus hoc haud invita subit, eoq; egregiè in ordinandis affectibus fungitur. Ita comparatum cum virtute est, ut in omni vita vitæq; partibus omnibus inveniat locum, *Quis verò quietem, in quâ* ludi